



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio VI. Vtrùm circa objecta naturalia sit possibilis scientia infusa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
7. a.

béret præscientiam, concludit, *Ac per hoc quibus omnino annunciata non est, non credituri præsciebantur.* Vbi rationem reddit negatæ prædicationis; quia Deus præsciens erat futuræ infidelitatis. Vbi nec meminit prudentis coniecturæ, quæ prudentior esset de Bethsaiditis: August. verò retractat eam rationem tom. 7. lib. 2. de Prædestinat. Sanctorum (quæ est de Bono perseverantiæ) cap. 9. non quòd retractet sententiam de scientia media, sed quia eam retentâ reddit aliam rationem negatæ prædicationis. Disputans enim contra asserentes, homines à Deo iudicari propter bona aut mala opera, quæ facturi essent, si viverent, ait cap. 8. *Certe poterat illos Deus præsciens illos esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* vbi agit de ipsis futuris præuisis ex suppositione diuturnioris vitæ, per quam scientiam potuit impediri, ne absolutè committerentur. Ac ne sit locus coniecturæ, cum cap. 9. explicat hunc locum Matthæi, & confutat hæresim de iudicio illorum operum, ait Tyrum non debuisse condemnari, si Deus reddidit præmium pro bono opere sub conditione futuro: quia Deus vidit Tyrum conuertendam esse, si apud illam prædicaretur: quare illa fides sub conditione præuisa erat præmio donanda. de præmio huius fidei loquitur Augustinus; non verò de præmio debito præscienti Tyriorum statuit: quia tunc nullam habebant fidem: nam absolutè habuerunt illum statum, secundum quem iudicata atque damnata fuit Tyros: ergo loquitur August. de fide, quam re ipsa haberet, quam Deum præsciuisse ait, & tamen eam non donasse præmio. Vnde euidenter concludit August. bona opera futura sub conditione non esse digna præmio.

§. 61. Et nisi in hoc sensu loqueretur, ineptè disputaret contra eos hæreticos supponentes à Deo præsciri ea futura: qua in parte eos non confutat (vt voluit nonnulli, qui fortè non legerunt Augustinū:) sed admissâ cum illis præscientiâ eorum futurorum probat ea non esse digna præmio exemplo Tyri damnatæ ob infidelitatem; cum tamen eius fidem sub conditione futuram præviderit Christus. Verba Augustini: *Porro si secundum facta, que facturi essent mortui, si viverent, iudicantur; profectò, quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis Euangelium esset prædicatum, non sunt utique puniendi, punientur autem.* ergo August. agit de aliquo bono opere, quod haberent, si prædicaretur illis, quod tamen non habuerunt. quod opus certò præscitum fuit à Deo: alioquin non posset ab illo præmio donari, vt contendunt hæretici, quos non confutat Augustinus negans præscientiam illam, sed affirmans: negans tamen merita sic visa esse digna præmio. cuius rationem ego reddidi in prædestinatione: cap. autem 10. idem confirmat exemplo puerorum, qui saluantur, qui essent damnandi propter mala opera, quæ facerent, si viverent. Lege totum illud caput, vbi refert acuti cuiusdam sententiam, asserentis à Deo præscitum Tyrios relabendos in peccata, & noluisse Christum eis prædicare, ne haberet occasionem eos grauius puniendi: vbi licet de hoc sine nihil asserat August. amplectitur tamen à Deo illa omnia futura conditionata præsciri. Concludit autem: *Ego verò quantum ad hoc, quod ago, attinet, sufficere video, vt secundum istam quoque sententiam demonstrantur homines non iudicari de his que non fecerunt: etiam si facturi fuisset præuisi sint.* Est ergo lucè clarius, hanc sententiam Christianam esse & Au-

gustinianam. Ratio sumitur ex veritate propositionum, quam ostendi disp. 10. de Anima, vbi solui difficultates contra hanc sententiam, quam expressè docuit Scotus tract. 1. Summularum in ca. 16. lect. 3. notab. 1. cuius verba recognosce disp. 14. Summul. §. 11.

§. 62. Cognoscuntur hæc futura ab anima Christi primùm scientia beata in scientia media Dei de illis: tum scientia per se infusa in ea visione beata prius cognita. item in ipsis immediatè eadem scientia infusa; vt dixi de futuris absolutis: tandem per prophetiam claram in reuelatione & locutione Dei. Alia de hac scientia non sunt huius loci.

SECTIO VI.

Vtrum circa obiecta naturalia sit possibilis scientia infusa?

§. 63. **S**. Bonaventura, Scotus, & alij censentur Sopinari hunc habitum repugnare. id tamen non dicunt; sed in Christo circa obiecta naturalia non esse nisi scientiam propriam anime separata. est autem diuersa quæstio, vtrum hæc scientia sit possibilis: an verò re ipsa existat? nec censendus est negare potentiam, qui negat actum. Alij non tam bonæ notæ Theologi asserunt non posse naturale obiectum cognosci actu supernaturali, quorum argumenta inuitus examino: quia non habent nucleum, sed solos vocum cortices.

SYBSECTIO I.

Argumenta negantium.

§. 64. **P**rimùm, quia omnis actus specificatur ab obiecto: sed ab obiecto naturali non potest specificari actus supernaturalis: ergo de obiecto naturali non potest esse actus supernaturalis. Minor probatur: quia specificari ab obiecto est specificari à forma; magis quàm substantia rationalis potest constitui irrationali formæ: ergo confirmatur. Specificare est dare speciem: sed res naturalis non potest dare speciem supernaturalem: quia nemo dat, quod non habet: ergo.

§. 65. Respondeo Primùm, maiorem propositionem esse falsam in eorum opinione: censent enim actum specificari à solo obiecto formaliprimario, non verò à secundario: quod ab aliquibus dicitur formale quod; à me verò cum S. Thoma materiale proximum: vt fidem dicunt specificari à sola auctoritate & reuelatione Dei, non verò à mysterijs reuelatis: item charitatem à solo Deo, non verò à proximo: ergo eiusmodi obiecta naturalia possunt cognosci actibus supernaturalibus: vt peccata cognoscuntur actu supernaturali fidei, & homo diligitur actu supernaturali charitatis: cur ergo non poterit cognosci naturale obiectum vt primum?

§. 66. Antequam argumento respondeam, pono rem ab alia specificari, Primùm à forma intrinseca: vt leo specificatur à forma leonina, homo à rationali: quia in rebus naturalibus actus est, qui distinguit, id est, vnam substantiam corpoream ab alia corporea: quia materia sublunaris est in omnibus eiusdem speciei; distinctio autem oritur à sola forma;

forma: quamvis per materiam etiam distinguuntur à cælis, & angelis. hoc pacto non potest forma inferior specificare rem superiorem: vt forma leonis non potest specificare hominem: quia specificare, & constituere quidditatiuè speciem vt parte principaliori, idem est. Nec item in eo sensu potest res superior specificare inferiorem: vt anima leonem. Multò minùs specificatur res superior ab inferiore, vt à tota ratione constituendi speciem; vt angelus humanitate, vt homo natura angelica: quia ista ratio specificandi est per identitatem realem cum toto conceptu quidditatiuo.

§. 67. Hac ratione obiectum non specificat cognitionem: quia obiectum nec est tota quidditas actus, nec forma illi essentialis, aut intrinseca: Deus enim non ita comparatur cum visione creata, nec cum nostra charitate: nec lux est de quidditate visionis: quia visio est denominatio extrinseca luci. item obiecta, quæ non existunt, non possunt ita componere actus existentes: an lapis est quidditatiuè de conceptu angelicæ cognitionis ad illum primariò terminatæ? Argumentum è §. 44. in hoc sensu accipere videtur specificationem actus ab obiecto: in quo est per se notum nihil posse specificari ab aliqua re diuersa rationis adæquatè ab ipsa.

§. 68. Specificantur item res ab alijs in genere causæ efficientis, quia ab illis accipiunt esse in eo genere: vt creaturæ omnes specificantur à Deo in ratione entis: item intellectio specificatur à potentia, ad quam dicit ordinem transcendentalem; & visio à visu. Hæc specificatio potest esse vel à causa totali, vt calor à luce; vel à causa partiali, vt visio à potentia visiva: item & à luce, quam cognoscit. in quo sensu obiectum naturale non specificat cognitionem supernaturalem: quia non concurrir efficienter proximè, nec remotè in actum: quia nec illum immediatè producit, nec speciem impressam de illo: quia est hæc supernaturalis; quamvis dicitur concurrere actiuè: quia Deus supplet per speciem concursum, quem obiecta præbere solent. In hoc etiam sensu probat argumentum ex §. 44. non posse actum supernaturalem specificari à naturali. vnde neganda est Maior proposita eodem §. 44. at rectè possunt res superiores significari partialiter ab inferioribus, quando in eas concurrunt actiuè: vt intellectio supernaturalis ab intellectu naturali, & visio à luce in illam concurrente per speciem impressam. itaque non ex conceptu rei inferioris vt sic oritur hæc non specificatio; sed ex conceptu obiecti naturalis impotis producere supernaturalem speciem.

§. 69. Tertio specificatur aliquid ab alio extrinsecè, non verò intrinsecè, aut efficienter: vt materia prima à formis, & hæc ab illa. Quæ specificatio est connexio rei cum specificante, sine qua connexione non potest esse, nec quidditatiuè cognosci, vt materia prima sine forma: aliquæ rationes habent connexionem in existentia cum specificante, vt actus intuitiuus cum obiecto, & modus cum re, cuius est modus; alia verò solùm cum possibilitate, vt anima cum corpore; quæ sine illo existente potest concipi, & esse; non tamen sine possibili. Hoc pacto omnis actus creatus specificatur ab obiecto.

§. 70. Ad argumentum ex §. 44. distinguo Maiorem: omnis actus specificatur intrinsecè ab obiecto, aut vt à principio per se influente physicè,

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

negò Maiorem; specificatur vt à termino extrinsecè, concedo Maiorem: distinguo item Minorem. §. 11. ab obiecto naturali non potest specificari actus supernaturalis intrinsecè, aut efficienter propriè, concedo Minorem; extrinsecè vt à termino purè extrinsecò, nego Minorem. Ad probationem Minoris, distinguo Maiorem: specificari ab obiecto est specificari à forma intrinseca; nego Maiorem; ab extrinseca, prætereat Maior. Distinguo item Minorem: res supernaturalis non specificatur forma naturali intrinsecè, concedo Minorem: id quæ probat leonis exemplum: non specificatur forma naturali extrinseca, nego Minorem: quia non est forma propriè, sed metaphoricè. Ad confirmationem, distinguo Maiorem: specificare intrinsecè vt forma, aut principio actiuo, est dare esse, concedo Maiorem: specificare vt puro termino extrinsecò est dare esse, nego Maiorem. Hoc autem potest esse inter inæqualia; vt anima specificatur à corpore, à quo non accipit esse.

§. 71. Ratio autem à priori est: quia specificatio hæc nihil est nisi connexio vnus rei cum alia extrinseca, siue ordo ad illam transcendentalem: quem disp. 15. *Metaphys.* dixi esse, quo vna res ita est, vt esse non possit nisi alia aut esset, aut esse posset. ob quod dixi Deum non esse ordinem transcendentalem ad creaturas: quia si essent omnes impossibiles, adhuc esset Deus: sed non repugnat rem supernaturalem habere hanc connexionem aut ordinem cum re naturali: ergo nec obiectum naturale cognosci actu supernaturali. Minor probatur: tum quia gratia habet eam connexionem cum natura intellectuali, & vnio hypostatica eam habet cum humanitate vt existente, actus supernaturalis cum potentia vitali, actus beatificus cum rebus naturalibus quas cognoscit in Verbo, actus fidei cum peccato quod ex reuelatione cognoscit, actus charitatis cum homine, quem amat propter Deum. si autem hæc connexio admittitur, quid interest, si sit cum obiecto primario, aut secundario? Gratia enim pender ab anima vt à subiecto primario, vnio item hypostatica ab humanitate, cognitio ab intellectu, vt à potentia primaria in ratione vitalis. est ergo hæc ratio aperta contra hoc primum aduersantium argumentum.

§. 72. Secundum argumentum est: quia inter actum & obiectum debet esse proportio: hæc autem non est inter obiectum naturale, & actum supernaturalem: ergo. Nego Minorem: argumentum enim esset ab opposito sumendum: quia difficultas est, quo pacto potentia imperfecta cognoscatur perfectiora obiecta? nempe Deus creato intuitio: videmus enim sensibus non percipi spiritalia obiecta: at potentia perfectiori cognosci imperfectiora obiecta, quis reuocat in dubium? Deus cognoscit creaturas, intellectus sensibilia, spiritus corpora: ergo & supernaturalis habitus obiecta naturalia. Ratio à priori: quia perfectio cognoscendi non est in obiecto, sed in facultate cognoscente; quo autem hæc est melior, meliora cognoscit obiecta. Quòd si hæc sunt tam imperfecta, vt non emittant speciem proportionatam; potentia est tam perfecta, vt eam aut efficiat, vt frequenter dicitur de intellectu agente, vel petat, vt à Deo immitatur: itaque actus supernaturalis proportionem habet cum obiecto naturali vt illud cognoscat: esto obiectum eam non habeat posituè per virtutem

S. Thom.
2. 11.

immissiuam speciei impressæ; satis est non repugnancia: quia non est contra conceptum rei supernaturalis, habere connexionem & ordinem cum aliquo ente naturali; quamuis hoc cum illo minimè actus etiam supernaturalis, & vnio hypostatica pendet à potentia vitali, & humanitate: quamuis hoc tantum habeant non repugnantiam sine conne-
xione aut ordine transcendentali.

§. 73. Tertium argumentum: Obiecta naturalia pertinent per se ad scientias naturales: ergo non ad supernaturales. Probatur consequentia: quia ad idem obiectum sub eadem ratione formali non terminantur scientiæ diuersæ. Respondeo, in antecedenti & consequenti esse æquiocationem: si vox per se pertinet ad obiectum per se exigentis scientiam; antecedens est verum, & consequentia mala: quia non intulit, pertinet per se, sed tantum, ergo non pertinet. Primum enim est verum; secundum autem falsum: aliud enim est pertinere per se perfectitate se tenente ex parte obiecti; aliud autem pertinere: quia pertinere per se est in obiecto esse positiuam exigentiam actuum supernaturalium; pertinere autem est habere non repugnantiam: itaque ex negatione exigentiæ positiuæ negatur non repugnantia. quod est malum argumentum.

§. 74. Si autem vox per se non pertineat ad exigentiam positiuam obiecti, sed actuum ipsorum; consequentia est mala: quia scientia supernaturalis tam per se est transcendentalis ordo ad obiectum naturale, quàm ad supernaturale: quia per suam essentiam illud repræsentat cum conne-
xione cum illo. vt intellectio nostra de luce tam per se illam repræsentat, quàm visio, vt actus vitalis tam per se pendet à potentia vitali, quàm ab habitu infuso: quia vitalitas tam petit potentiam vitalem quàm habitum supernaturalitatis.

§. 75. In forma ad argumentum ex §. 73. nego consequentiam. Ad probationem, nego antecedens, quod est aperte falsum: quia visus, & imaginatio, & cognitio humana, item diuersæ cognitiones angelicæ terminantur ad eandem lucem vt existentem sub eadem ratione formali obiectiua. Quod si velis lucem ab angelo in sole cognosci, duo angeli, & anima separata eam cognoscent in sole vt in obiecto formali: item Deus secundum se est obiectum formale visionis beatæ, & fruitionis, & tamen sunt actus speciei diuersi: item forma equi & leonis specificantur ab eadem numero materia prima sub eadem ratione formali. Ratio à priori: quia termini humani sunt extrinseci; cum quibus multæ res specie diuersæ possunt habere connexionem & ordinem transcendentalem: qui erunt diuersi ob intrinsecas entitates, quibus modo diuerso tendunt in eundem extrinsecum terminum.

§. 76. Obiicies, visum tendere in lucem sub ratione visibilis; intellectum sub ratione intelligibilis; angelum verò sub ratione intelligibilis sine dissensu. Contrà: Ex parte lucis non distinguuntur visibilitas & intelligibilitas: quia sub conceptu lucis habet vtramque. Nec amabilitas, seu bonitas, distinguuntur ex parte obiecti à veritate & cognoscibilitate: quia sub ratione entis est vtrumque: sunt autem denominationes ex parte potentialium, quæ cadunt in idem obiectum sub eadem ratione formali. Nec propterea pugnemus: vt sol videtur sub ratione visibilis, & intelligitur sub ratione in-

telligibilis: ita cognoscitur scientia infusa sub ratione infusibilis. Mitto alia argumenta, quæ sunt eiusdem armaturæ.

SVBSECTIO II.

Probationes conclusionis.

§. 77. **P**osse obiecta naturalia cognosci habitu supernaturali, probari potest Primum ex responso ad argumenta. Quia & transcendentalis ordo, aut connexio rei supernaturalis cum naturali, & proportio est demonstrata: & in questionibus de potentia absoluta, satis est respondere argumentis. Probatur præterea. Primum, quia potentia ordinis superioris attingunt omnia obiecta inferiorum: sed habitus supernaturalis est potentia ordinis superioris, quàm intellectus humanus & angelicus: & obiecta naturalia sunt obiecta eorum intellectuum: ergo hæc possunt cognosci habitu supernaturali. Maior est certa, abstrahendo obiectum à formali primario & secundario. Probatur item de obiecto formali primario: quia sensus communis habet pro obiecto formali primario obiecta formalia quinque sensuum. Quod enim ij primò attingunt ex parte obiecti, attingit ille: item intellectus attingit etiam eadem obiecta, vt formalia primaria multorum actuum. Quia ex cognitione externa deriuatur species in sensum communem: ex cuius actu oritur simplex apprehensio de eodem obiecto: ex hac iudicium: tandem ex hoc discursus circa substantias, quarum sensimus accidentia.

§. 78. Confirmatur. Intellectus angelicus cognoscit vt obiectum formale primarium multorum actuum eadem nostra obiecta formalia; lucem item, calorem & alia. Hæc enim vt existentia possunt ab angelo tam immediatè cognosci, quàm à nobis, & quàm ab ipso cognoscitur actus liber vt existens. Pone item obiectum formale nostri intellectus; angelus illud cognoscit meliùs vt obiectum formale, quàm nos: solem item, lapidem, & alia cognoscunt duo angeli vt obiectum formale primarium: ergo potentia ordinis superioris cognoscit immediatè obiecta potentialium inferiorum.

§. 79. Ratio à priori: quia cognoscere est perfectio: quo autem potentia est perfectior, se porrigit ad plura obiecta; ea que percipit multò meliùs: ob quod sensus communis est vniuersalior externis, intellectus sensu communi, intellectus sunt æquales; in modo autem attingendi idem obiectum sunt diuersi. Hæc comparatio non est cum quolibet habitu gratiæ, sed cum gratia ipsa habituali, quæ est radix habituum; habet autem omnes, quibus possit attingere immediatè omnia obiecta potentialium naturalium, & meliùs.

§. 80. Secundò probatur ex ipsa gratia, quæ vim habet ad cognoscendum immediatè Deum, & in Deo omnia obiecta naturalia & supernaturalia diuisiue: item ad cognoscenda immediatè obiecta supernaturalia: ergo & ad naturalia per se: item & virtutes morales, quibus ametur propter ipsam omnem bonitas creata, & quæ sit honestè propter seipsam amabilis: cum illa omnia obiecta sint multò nobiliora, & cognitu difficiliora, quàm naturalia.

§. 81. Tertio probatur: quia actus supernaturalis

lis attingit obiectum naturale vt obiectum formale quod, siue vt materiale proximum. In procemio Logicæ & Metaphysicæ, item vol. 1. disp. 2. dixi esse nonnulla obiecta, quæ ratione sui cognoscuntur, aut amantur, vt præmissa in syllogismo, & finis in voluntate. Hæc vocantur obiectum formale absolutè: ab alijs dicuntur obiectum formale quo. Sunt item alia obiecta, quæ propter illas cognoscuntur, aut amantur in se quidem ipsis, id est, secundum proprias rationes cognoscuntur verè, & amantur: vt conclusio in syllogismo; & in voluntate mediâ ad finem: etenim mysterium reuelatum cognoscitur à fidelibus, & proximus amatur charitate. Hæc obiecta vocantur *obiectum materiale proximum*; ab alijs obiectum formale quod. sic discriminantur ab obiecto materiali remoto; quod nec verè cognoscitur, nec amatur actu remoto; nec illi tribuit speciem.

§. 82. Hinc arguo, Obiectum formale quod naturale attingitur actu supernaturali: ergo etiam obiectum formale quo naturale poterit attingi actu supernaturali. Probo consequentiam: Primum, quia quod attinet ad representationem, tam verè & expressè, & in se representatur alterum, quam alterum. quod item attinet ad dependentiam, æqualis est ab utroque: hæc autem est specificatio; cetera verò sunt de nomine: cur ergo non poterit vtrumque immediatè cognosci?

§. 83. Dices: quia iam primum attingitur obiectum supernaturale proportionatum actu: ex quo deriuatur cognitio ad naturale. Contra: Deriuatur cognitio supernaturalis ad naturale obiectum, si hæc sunt improportionata: cur ex obiecto supernaturali primario deriuatur cognitio improportionata ad obiectum improportionatum, quod representat tam expressè, quam obiectum primarium? Pone actum charitatis circa proximum esse realiter distinctum ab actu circa Deum: item actum fidei circa reuelatam distingui realiter ab actu eiusdem fidei circa reuelationem: actus circa proximum amat obiectum naturale secundum propriam rationem, & non aliud: eodem modo quo actus circa Deum amat Deum solum, & non aliud: estque solum discrimen, quod actus circa Deum est causa actuum circa proximum. Idem dico de actibus circa reuelationem, & circa mysteria reuelata. Vt igitur potest esse actus supernaturalis circa solam bonitatem aut veritatem naturalem, deriuatus ab alio actu circa aliud obiectum supernaturale; cur non poterit circa eandem bonitatem aut veritatem, non deriuatus ab alio, sed deriuatus à specie impressa? cur enim obiectum supernaturale prius cognitum deriuat alium actum supernaturalem circa obiectum naturale; species autem infusa illum non deriuabit? Iam enim ceruatur nullam esse improportionem inter actum supernaturalem, & adæquatum eius obiectum naturale: qui quamuis pendet ab obiecto supernaturali formali, non tamen vt ab obiecto suo, sed ab obiecto alterius actus, ex quo ipse deriuatur. Pone igitur speciem impressam supernaturalem, ex qua inferatur cognitio primaria circa idem obiectum: quæ hinc maior est improportio, quam in alio casu?

§. 84. Dices, actu charitatis, quo proximus amatur, amari Deum: item eodem actu cognosci reuelationem & mysteria reuelata. Contra Primum: Finis amatur eodem actu cum medio, per quem est

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

obtinendus: quando verò finis non pendet ab obiecto secundario, vt Deus non pendet à creatura, non est necesse vt eodem amentur actu: nec item mysterium opus est vt cognoscatur eodem actu, quo reuelatio. Et quidem cum in schola negante scientiam supernaturalem de obiecto naturali, admittatur realis illa actuum distinctio, non est ab ea appellandum. Contra Secundò: Ergo actus primus alicuius habitus, qui actus est supernaturalis quoad substantiam, representat aut amat veritatem aut bonitatem naturalem cum connexionem & ordine transcendentali: ergo non est improportio inter ea obiecta.

§. 85. Tandem ergo poterit esse vna scientia infusa, cuius obiectum formale adæquatum sit ens supernaturale, & naturale; vt supernaturalitas actus accipiatur à supernaturalitate obiecti, vt tu respondes: à naturali autem obiecto non est opus vt sumatur, vt per te non sumitur ab obiecto naturali, quod est materiale proximum, aut formale quod. Tu enim confugis ad vnum obiectum supernaturale, cui proportionatur actus: hoc autem ego tibi do constituens duo obiecta formalia, alterutrum quidem partiale, vtrumque verò totale: sicut à te ponitur: ergo sicut ab illo tuo supernaturali partiali proportionatur actus supernaturalis; ita & ab hoc meo obiecto: solum que est discrimen, quod in tuo non est nisi vnum obiectum formale, in meo autem sunt duo. à tuo autem obiecto argumentum ego sumo ad meum: quia conueniunt in duobus, nempe in representatione vtriusque secundum se cum connexionem & ordine supernaturali. Item quod vtrouique datur vnum supernaturale obiectum, à quo proportionetur actus supernaturalis.

§. 86. Quin potius tam efficax est hoc argumentum, vt aduersarios premat in sententia proposita §. 63. de distinctione reali actuum circa obiectum formale, aut materiale: quia in ea sententia censent oppositi proportionari actum supernaturalem cum obiecto naturali propter supernaturalem obiecti formalis; quamuis actus sit realiter distinctus: ergo multò magis proportionabitur actus supernaturalis ab obiecto supernaturali ad aliud obiectum partiale naturale. Probo consequentiam: quia in meo argumento idem numero actus est circa obiectum supernaturale & naturale, qui ab obiecto supernaturali proportionatè cognito non potest non esse supernaturalis, esto porrigatur ad vilissima quæque obiecta naturalia. quæ ratio non est in sententia distinguente realiter illos actus: quia obiectum supernaturale cognoscitur adæquatè actu supernaturali; alter autem actus deriuatus circa obiectum materiale, non habet pro obiecto intrinseco aliquid supernaturale; sed supernaturale habet pro obiecto impulsivo tantum, & extrinseco: at obiectum supernaturale intrinsecum coniunctum cum alio intrinseco naturali melius tribuit supernaturalitatem actui, quam si solum sit obiectum extrinsecum & impulsivum: quia obiectum intrinsecum cognoscitur verè, & est absolutè obiectum; impulsivum autem neque cognoscitur verè, neque est absolutè obiectum: ergo intrinsecum multò melius proportionat actum supernaturalem, quam extrinsecum.

§. 87. Ex hisce (morem gerens delicatis faucibus, non valentibus haurire actum supernatura-

L 13 lem

s. Thom.
q. 11.

lem circa obiectum naturale) compones scientiam per se infusam supernaturalem circa obiectum formale naturale: cuius scientiæ obiectum formale adæquatum sit ens supernaturale & naturale. Idque bifariam. Primum, si eodem actu cognoscatur necessarîo supernaturale, & naturale: quod quidem non est necesse; necesse autem est, ut omni actu cognoscatur ens supernaturale proportionans actum supernaturalem. Nonnulli actus non attingent ut obiectum formale, ens naturale, sed tantum supernaturale: ut nonnulli actus visus solam lucem attingunt, alij autem actus tendent in utrumque, ut naturale proportionetur à supernaturali: ut visus tendit in colorem, & lucem, at nullus actus tendit in solum ens naturale propter improprietatem: sicut visus numquam tendit in solum colorem. Tunc autem obiectum supernaturale præ se fert speciem obiecti formalis: neutrum autem est propriè obiectum formale alterius: sicut lux non est propriè obiectum formale coloris, sed improprietè, ut alibi dixi: quia lux se sola potest videri; color autem minimè; in quo illa imitatur obiectum formale: at prius visa non ducit in visionem coloris, sed comitanter utrumque. Hæc dixi, ut ostendam in nulla schola posse negari scientiam per se infusam.

§. 88. Ultimò argumentor: quia in actu supernaturali de obiecto formali naturali non sunt duæ propositiones reciproce contradicentes. quod constabit ex subsect. 1. ubi ad argumenta respondi. Aliam rationem vide §. 74. 75. & 76.

SECTIO VII.

Christo non deest hæc scientia.

§. 89. **D**ico Christum hac scientia pollere. Primum, argumētis à §. 42. propositis. Secundò, quia Christus cognoscit hæc obiecta in proprio genere melius, quam angeli: quod esse non potest nisi per scientiam supernaturalem: scientia enim naturalis angelica perfectior est physicè scientia naturali Christiana. Ob quod necessaria est scientia supernaturalis, qua Christus superet naturalem angelicam. Quod si angeli habent scientiam supernaturalem de his obiectis, hæc scientia Christi erit illa perfectior intensuè. Video negari videri à S. Bonaventura, Scoto, & alijs: asseritur autem à S. Thoma, retractante priorem, à P. Suarez, & alijs pluribus. Probata autem possibilitate, factum in Christo non est difficile.

SECTIO VIII.

Utrum sit possibilis scientia per se infusa circa obiecta imperfectè cognita cum dependentia à sensibus?

§. 90. **D**icatur cognitionem animæ separata, quæ certò & immediatè in substantias naturales, spirituales & corporeas fertur, est nobis alia scientia, quam cõparamus exercitatione sensuum per species impressas dependentes in prima acquisitione à sensibus obiectis & phantasmatis dependentibus; à quibus sunt species impressæ intellectuales: ex quibus per discursum ex rebus per se sensibi-

libus cognoscimus insensibilia, Deum, angelos, nos, & alia id genus. quæ cognitio est valde imperfecta, non quidditativa, exposita mille imperfectionibus.

§. 91. Est ergo quæstio, utrum circa hæc obiecta sit possibilis scientia per se infusa supernaturalis. Et quidem ex vol. 2. disp. 89. §. 2. constat in nobis relinqui ex actibus fidei Catholice species impressas immediatè terminatas ad obiecta reuelata, tam naturalia, quam supernaturalia: per quas species absque actuali cognitione auctoritatis & reuelationis Dei cognoscimus mysteria reuelata, & sæpè exercemus actus supernaturalis voluntatis, quod experimento videtur deprehendi: sæpiù nos adoramus Christum in Eucharistia, opitulamur egenis, frequentamus Sacramenta, & alia id genus, quin actu meminerimus reuelationis Dei, propositionis Ecclesiæ, & argumentorum, quibus nostra fides est evidenter credibilis: hic enim processus est prælongus ad tam frequentes, & quasi subitas actiones voluntatis, quas homines sæpiù frequenter exercent: at verò hæc scientia semper est cum dependentia radicali à reuelatione Dei. Quapropter nisi circa obiecta reuelata non potest illa scientia exerceri.

§. 92. Censeo circa obiecta nostra scientiæ naturalis esse possibilem scientiam infusam per se supernaturalem. ita colligitur ex S. Thoma q. 9. & 11. art. 4. Vbi docet scientiam inditam animæ Christi esse in modo imperfectiorem angelica: quia conuertitur ad phantasmata: quia constituitur diuersas scientias infusas in Christo iuxta diuersitatem specierum impressarum. P. Suarez disp. 25. sect. 3. fine, & disp. 27. sect. 1. non obscure constituit hanc scientiam. Probatur Primum: quia non sunt duæ propositiones contradictoriæ in ea cõstituenda. Non ex parte obiecti: quia abundè probaui posse esse scientiam supernaturalem de obiecto naturali. neque item ex parte modi: quia fides tendit in reuelationem Dei, & in mysteria reuelata hoc modo imperfecto cum dependentia ab auditu: fides enim ex auditu est: quomodo enim credent, si non audierunt? aut quomodo audient sine prædicante? aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Neque enim reuelationem cognoscimus per speciem immediatam quidditativam, sed per abstractiuam comparatam per alienas species rerum sensilium: mysteria autem cognoscuntur fide cum eadem imperfectio: ergo ex parte modi non repugnat, hæc obiecta scientia supernaturali cognosci.

§. 93. Adde, modum huius scientiæ esse in parte perfectiorem modo fidei: hæc enim semper est obscura circa reuelationem, & obiecta reuelata: ob quod quantum est ex se, est exposita negationi: omnia enim reuelata si præcisè reuelatione noscantur, possunt negari: quia reuelatio liberè creditur: at verò hæc scientia est evidens non minus quam naturales demonstrationes de Deo, & alijs obiectis; quæ philosophi rationis lumine demonstrant: ergo hic modus melior est in parte, quam modus alicuius habitus supernaturalis.

§. 94. Confirmatur. Sæpè fideles exercent multos actus circa virtutes morales, de quibus nihil audierunt ex reuelatione Dei, sed tantum lumine naturæ: quia educantur apud homines parum doctos, vel non interfunt illorum doctrinis: at lumine rationis cognoscunt esse opitulandum egenis, & alia id genus: tunc exercent actus cum merito: quia sunt in gratia, & operantur ex gratia per Christum:

at